

bunal poenitentiae, sed aliam omnino formam habent,diversumque sigillum, uti supra notavimus.

XII. Quae provisiones & gratiae expediuntur per *Bullas* in Cancellaria Apostolica; quae vero per *Brevia* per Secretarium Brevium, enumerat Cardinalis De Luca, & fufius Rebuffus in Praxi titulo *De Brevi Apostolico*; notatque De Luca, in summa omnia per *Breve* expediunt, quae per Papam concessa, ex Regulis Cancellariae, vel ex stylo non exigunt necessitatem Litterarum sub plumbo per vitam Cancellariae. Rebuffus vero monet, quod Breve in parvis materiis concedatur, & ubi non est multa pecunia exponenda; & sic in casibus conscientiae & in absolutionibus dari potest, & pauperibus ac viduis.

Uterius monet ibidem Rebuffus, quod per *Breve* concedi potest, ubicumque in *Signatura* est expressum, ut in forma *Brevi* expediendi possit. Et hoc solet, inquit, a cautis Pragmaticis Curiae Romanae in Signatura poni, quod hoc expediatur per *Breve*, vel quod sola Signatura sufficiat, & maxime in modicis, ut expensae vitentur.

XIII. Porro quia Brevia aliud non habent signum authenticum nisi subscriptionem Secretarii, & impressionem *Annuli Piscatoris* in rubra cera facile debilibi & amovibili, hinc pro certitudine expeditionis, non tantum registrantur in libris seu registris sub fidei custodia, sed in super minutae

seu matrices manu ipsius Papae subscriptae, per Secretarium pro sua indemnitate conservantur, ac etiam pro verificatione gratiae concessae in Archivo Apostolico diligenter custodiuntur, illis forsitan gratis vel Brevibus exceptis, quae concedantur super rebus *consuetis*, modicique momenti, adeo ut penae nemini negentur, unde propterea generalis communitio, seu probata fides Secretarii, ac impressio dicti annuli, nuli Piscatoris sufficientes videntur, ut ex gr. sunt Brevia super dispensatione Interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus in tribus diebus festis, aut super dispensatione aetatis 17. mensium ad suscipiendum Ordines sacros, sive quaedam species Indulgentiarum, quae sub certa forma omnibus conceduntur, puta pro Altari Privilegiato in una die hebdomadae, & in Octava Mortuorum, pro Indulgentia Plenaria in una tantum solemnitate totius anni alicujus Ecclesiae, cum similibus gratis, quae sub certa & generali formula inalterabili, cuique petenti conceduntur: quoniam cum fraudis vel falsitatis timor desuper verisimiliter non cadat, idcirco superfluae videntur dictae majores diligentiae, potissimum ob hujusmodi expeditionum multiplicatam, magnamque copiam, unde propterea quando desideratur aliquid speciale & alterativum formulae consuetae, tum dictae diligentiae intrans, pro diversa negotiorum qualitate, diversisque styli, quibus in his materiis deferendum est.


## TITULUS XXIV.

### De Instituto Regularium & eorum Admissione.

#### CAPUT I.

De primario Monachorum Instituto, eorum Regulis & Constitutionibus.

- 1 Vita Monastica est vita primorum fidelium originem accepit.
- 2 Probatum ex Cassiano.
- 3 Primi Monachismi Auctores privata sua electione & instinctu suam illam assumpserunt.
- 4 Vita Monastica principaliter tantum spectat privatam Monachorum salutem.
- 5 Probatum auctoritate SS. Basilii & Hieronymi.
- 6 Superiorum ex tempore data praecipua erant primitivis Monachis pro Regula.
- 7 Probatum ex S. Augustino.
- 8 Veteres Patrum Regulae tantum sunt privatae Institutiones Monachis ex tempore datae.
- 9 Etiam Regula S. Augustini non nisi privata instructio primitivis fuisse videtur.
- 10 Primis saeculis vix ulla Regula litteris fuisse consignata.
- 11 Antiquitas Regularum frequens mutatio; & plures frequenter in eodem Monasterio receptae.
- 12 Primus S. Benedictus Regulas mutandi licentiam tantisper castigavit; & qua occasione id factum.
- 13 Multis saeculis nulla aut Episcoporum, aut Sedis Apostolicae approbatio Regulae Monasticae necessaria fuit.
- 14 Primus approbationem Sedis Apostolicae requisivit Innocentius III.
- 15 Non dicitur hodie vera Religio Monastica, quae non proficitur Regulae ex approbatione.
- 16 Olim nota non erat discrimina inter Regulas Monachorum, & Ordinis constitutiones.
- 17 Primum discrimen quod hodie inter Regulam & Constitutiones intercedere dicitur.
- 18 Secundum discrimen.
- 19 Tertium discrimen cum quadam reflexione.

I. itam Monasticam, praecipue Cœnobarum sive in communi viventium, originem sumpsisse à vita primorum fidelium, de quibus in Actibus Apostolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, notavit & pluribus expressit Cassianus.

II. Postquam enim tria Monachorum genera annotavit Collat. 18. c. 4. deinde c. 5. Cœnobarum originem ita describit: Cœnobarum itaque disciplina, à tempore praedicationis Apostolicae sumpsit exordium. Nam talis exiit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quae in Actibus Apostolorum ita scribitur: *Multitudinis credentium, unum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus prout cuique opus erat. Et iterum: Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum, quae vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout ut cuique opus erat. Talis inquam erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc per paucos in Cœnobiis invenire difficile est. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cepisset credentium multitudo, ea vel maxime quae ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluxerat, à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inveteratae gentilitatis consuetudine nihil amplius expectabant, nisi ut ab immolatiis idololorum & fornicatione & suffocatis & sanguine temperarent, atque ista libertas quae gentibus propter infirmitatem primae credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiae quae Hierosolymis consistebat perfectionem paulatim contaminare cepisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero vel advenarum, primae illius fidei refrigeret fervor, non solum hi qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant Ecclesiae Principes; ab illa distinctione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id, quod videbant gentibus pro infirmitate

## Tit. XXIV. De Instituto Regul. & eorum Admis. Cap. I. 187

concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perperci crederent, si cum substantiis ac facultatibus suis, fidei Christi confessionemque sequerentur. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat fervor, memores illius pristinae perfectionis, discedentes à civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel Ecclesiae Dei remissioris vitae negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis, ac iectioribus commanere, & ea quae ab Apostolis per universum corpus Ecclesiae generaliter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere coeperunt, atque ita coarctata quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestraverant, disciplina. Qui paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis, ab eo quod à conjugis abstinerent, & à parentum se consortio mundique vitis conversatione secernerent, Monachi sive Monazones singulares ac solitariae vitae distinctione nominati sunt. Unde consequens fuit, ut ex communitone consortii Cœnobia, cellaeque ac diversoria eorum Cœnobia vocarentur.

III. Ex hoc Cassiani discursu non obsecrum est, quod nonnulli salutis suae securus faciliusque agenda desiderio succensu, privata ac propria electione & instinctu secesserint, & quod hodie vocatur *Monachale* Institutum, assumpsissent, eique originem dederint.

IV. Patet insuper, hanc secessionem Monasticam non publicum & commune Ecclesiae bonum (nisi in quantum privatorum virtutes, & vitae sanctitas, totam Ecclesiam exornant & juvant) sed privatam ipsorum recedentium seu eam vivendi normam amplectentium commodum & emolumentum, sive salutem propriam principaliter spectasse, eumque in finem à primis illis Monachis fuisse arceptam: quod & manifestum est ex iis, quae passim à Patribus de Monachis, & eorum vivendi Instituto dicuntur.

V. Basilii enim, ait, Monachorum vitae ratio, unum sibi tantummodo propositum habet, *animae salutem*; & quidquid prodesse ad eum situm potest.

Sandus Hieronymus de se & Vincentio Monachis loquens idem asserit: Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, Urbes celeberrimas reliquimus, non ut in populo praedicantem (alloquitur Joannem Constantinopolitanum) laudarem; sed ut in agris, & in solitudine adolescentiae peccata desentes, Christi in nos misericordiam desecteremus. Et rursus libro adversus Vigilantium haec de Monachis habet: Monachus non *Doctus, sed plangens* habet officium; qui vel *se vel mundum* lugeat, & Domini pavidus praestetur adventum; qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timeat offendere, ne impingat, corrumpatur, & frangatur; unde & mulierum maxime adolescentularum vitae aspectum; & in tantum castigatorem sui est, ut etiam quae tuta sunt perimeat. Verbo, perlegantur omnes omnino Patrum Regulae Monasticae, videbitur, in hoc unum directas, ut Monachi propriam suam salutem & profectum facilius securusque, juxta normam Evangelicam, operari queant.

VI. Hinc quidquid pro temporum, locorum, & personarum circumstantiis, in eum finem utilius atque opportunius videbatur, id à Praepositis & Superioribus statuatur. Voluntas Superiorum eis pro regula erat; atque Superioribus obedire prima Monachorum virtus, & Monasticae disciplinae fundamentum.

Neque enim primis saeculis Monachi certam fixamque Regulam profitebantur aut promittebant, sed quidquid ad profectum Monachorum videbatur hic & nunc conveniens, à Superioribus ordinabatur; idque Monachis pro Regula erat.

VII. De Patribus Cœnobarum seu Monachorum in communi viventium scribit Augustinus lib. 1. *De Moribus Ecclesiae* cap. 31. Hi Patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam Divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelli, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum

in obtemperando voluntate. Conveniunt à se ten die tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc juni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimum, hominum milia; nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit differentes oratio, vel genu, vel stertu, vel modesto & omni clamore vacuo gaudio significantes.

VIII. Si quis seu Orientalium seu Occidentalium antiquas Monachorum regulas quas Lucas Holstenius super sub titulo *Codices Regularum* evulgavit attentius expendat, non difficile intellet, plerasque earum non esse, nisi particulares aliquibus Monachis ex tempore aut data occasione datas vivendi formulas, sive privatas instructiones, successu temporis aliis communicatas, & à pluribus tanquam disciplinae Monasticae utiles & convenientes Regulas receptas; quod etiam ipse Holstenius in praefatione ad dictum Codicem cap. 3. notavit.

Loquens quippe de antiquis Regulis in suo Codice continens ait: Illae à singulis, ut *praesens usus posebat*, Patribus scriptae, aliorum similia cupientium studiis descriptae, in commune proponebantur, ut ex his quique pro locorum & nationum differentia vitam uniformem, quoad praecipua, disciplina temperarent. Primaria sane & quasi fundamentalis Monachorum regula Evangelium erat: illa, inquam, Christi consilia, quae castrare se ipsum propter regnum caelorum, quae abnegare se, & crucem tollere, quae patrem & matrem, uxorem, agros propter Christum relinquere, quae vendere patrimonia & dare pauperibus, sicque nudos Chastum sequi suadebant. Regulae particulares nihil nisi ejus primae, ac *universalis* regulae applicationes aut declarationes locis & personis plerumque aptatae habebantur.

IX. Quin & S. Augustini Regulae nunc toto orbe per tot Religiosorum virorum ac famularum caetus diffusam, non nisi planè extemporaneam fuisse, quam vis in se dignissimam, scripturam, ad unius solius Parthenonis usum in quo ipsa sancti Doctoris Praeposita fuerat, observat R. P. Papenbrochius ad vitam S. Alberti VIII. Aprilis. Et enim, ait, neque Possidius, qui vitam Magistri sui scripsit, neque ipse sanctus Doctor, ex cuius scriptis plurima pars rerum, ab eo gestarum nobis innotescit, usquam mentionem fecerit, re curae impensa sanctimonialibus per regulae scripturam, nempe, ipsa regula nusquam inter Augustini scripta numeratur: licet Possidius post vitam catalogum texerit omnium quorum potuit notitiam consequi, etiam singularium epistolarum, adeo ut videatur planè extemporanea, quamvis in se dignissima, fuisse scriptio; cuius, tanquam alium deinceps usum non habituram, exemplar servare S. Doctor neglexerit, & tamen ex illis aliquando producta angustius quantam approbationem non retulit.

X. Itaque rectè observavit Haestenus *Disquisit. Monast. lib. 1. tract. 1. Disquisit. 2.* quod, optimis saeculis vix ulla litteris consignatae fuerint Regulae; & ipsimet Regularum Conditores, aut, antequam eas scriberent, communi tantum traditione, consuetudine & usu suos regerant; eratque iis *Superioris imperium instar* una *cujusdam Regulae*, sicut Regulae mutus quidam Superior.

XI. Hinc antiquitas mutatae passim Regulae & plures etiam in eodem Monasterio non raro servatae, uti de Athenensi testatur Gregorius Turonensis lib. 10. *hist. cap. 29.* in quo ait servatus fuisse *Regulas Sancti Basilii, Cassiani, & reliquorum Abbatum*, detrahis scilicet & usurpatis iis, quae pro locorum ac temporum conditione intempestiva aut opportuna videbantur.

XII. Si Viro erudito Joanni Mabillonio credimus, vagam illam Regulam mutandi licentiam primus tantisper castigavit sanctus Benedictus, cuius discipulis susceptam semel Regulam abdicare numquam fas fuit. Id vero inde processit, ait Mabillonius, quod eum sancti



„cristianus Legislator primus aut certe inter primos, solemnissimum professionis formam, modumque prescripserit; intra professionis terminos includeret Regulam suam observationem, a qua deinceps recedere non liceat. In praefatione ad primam partem saeculi IV. Benedictinorum n. 53.

Observat verò Holstenius in citata praefatione, quod nec ipse S. Benedictus, Regulam universalem suis ubique omnibus promulgavit; sed *peculiarem* dumtaxat Cassinensi Cœnobio cui praeerat: quae inde *privata* diligentia descripta, & imitandi studio publicata est.

XIII. Quia ergo Monachorum Regula à Praepositorum voluntate primitus dependebat, mirum non est, si in antiquis Patrum Regulis, nec Episcoporum, neque Sedis Apostolicae approbatio vel confirmatio appareat.

XIV. Primus Innocentius III. in Concilio Lateranensi in *Cap. fin. de Religiosis domibus*, decrevit, ut qui *voluerit religiosam domum de novo fundare, Regulam & institutionem accipiat de APPROBATIONE*.

Hoc Decreto vetitum creditur, sine auctoritate seu approbatione Sedis Apostolicae novam Religionis Regulam condere: diciturque ipse Innocentius III. Beato Dominico Ordinis sui confirmationem petenti respondisse, ut Regulam aliquam *approbatam* eligeret; quam & elegit, nimirum Regulam S. Augustini, quae tum totius Ecclesiae consensu recepta & probata erat.

XV. Quia in si quae mulierum aut virorum hodie congregatio sit, quae privatam sibi vivendi Regulam praescripserit, atque illam professi vitam solitariam etiam cum emissionem votorum agant, nequaquam dicitur Religio; neque *vota* in illa emissa dicuntur *solemnia* Religionis; eo quod Regulae & Religionis approbatio desit.

XVI. Adhuc quamdiu Monachis praecipua & ordinationes Superiorum pro Regula fuerunt, quidquid pro bono disciplinae & vitae Monasticae observantia à Praepositis ordinabatur, vice Regulae erant: neque nota erant discrimina inter Regulam Monasticam, & inter Constitutiones Ordinis, quae postrema aetas in vexis quorum haec praecipua à reventuoribus allegantur.

XVII. Primum desinitur à diversitate auctorum. Regulae enim dicuntur, quae à SS. Patribus Ordinum Fundatoribus, aut aliquibus Episcopis jam pridem praescriptae sunt, & ipsi professionis formulae solent sub nomine Regulae includi. Constitutiones verò dicuntur quae à Capitulis generalibus, aut Ordinum Congregationibus, diversis temporibus emanarunt.

XVIII. Secundum discrimen desinitur à duratione, vel perpetuitate. Regula enim vix aut ne vix quidem mutari solet: Constitutiones vero pro temporum & locorum varietate non raro mutantur. Unde S. Antoninus *parte 1. tit. 16. cap. 1. §. 4.* ex Joanne Andrea scribit, quod Regulae mutari non possunt, nisi à Summo Pontifice: Constitutiones verò mutari queant per Praelatos Religionum, qui tantae sunt auctoritatis, quantae fuerunt eas instituentes. Hanc S. Antonini sententiam veram esse, moderna Religiosorum Praxis evincere videtur. Passim enim Religiosi Ordines potestate mutandi suas Constitutiones sive Statuta utuntur; Regulam verò mutandi nequaquam.

XIX. Tertium discrimen nonnulli constituunt inter Regulam & Constitutiones; quod illa arctius & sub graviore culpa obliget; quam haec. Et quidem apud Patres Discalceatos declaratum est (uti ex eorum Statutis refert Haeftenus loco citato *Disquisit. 3.*) Regulam, exceptis votis & officio divinito, ad culpam tantum venialem obligare. Constitutiones autem non ad culpam, sed ad poenam impositam vel à Superiore imponendam, nisi contemptus adsit, aut contrarius eius quod statuitur, ex natura sua, aut aliunde culpa sit.

Quidquid sit circa hoc Regulam inter & Constitutiones discrimen, illud indubitatum, neque hoc neque praecedentia discrimina inter Regulam & Constitutiones antiquitus nota fuisse; nullumque in Canonibus aut Patrum scriptis illo-

rum discrimen esse vestigium; sed jam pridem ipsis Monachis omnia Superiorum Statuta in pari fuisse veneratione.

## CAPUT II.

Multis saeculis Ordinum Monasticorum ignota diversitas, quomodo postmodum inducta; & quomodo restituta novorum Institutio?

- 1 Varietas circa exteriorem disciplinam diversitatem Ordinum primitus non faciebat.
- 2 Una erat Monachorum societas; & facilis de uno Monasterio ad aliud transitus.
- 3 Uniformitatem Monachorum durasse usque ad saeculum 11. observavit Lucas Holstenius; & Christianus Lupus.
- 4 Primus Benedictinus ab aliorum Ordinum Monachis discrevit Trithemius; optandumque ut hodie super hac discretione quaestiones cessarent.
- 5 Diversitas Ordinum à S. Odone incipisse videtur.
- 6 Saeculo 11. & sequenti multum invaluit.
- 7 Concilium Lateranense sub Innocentio III. novum Ordinem instituit veteris; & quare?
- 8 Hoc Decretum non observatum.
- 9 Praedictum Decretum renovavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X.
- 10 Etiam post hoc Concilium nimia Religionum excessiva.
- 11 Primi approbationem sui Ordinis à Sede Apostolica petierunt SS. Dominicus & Franciscus.
- 12 Quare requiratur approbatio Sedis Apostolicae?
- 13 Approbatio nova Religionis hodie Sedi Apostolicae est reservata.
- 14 Quis hodie hujus approbationis effectus?



I. Jamquam olim etiam inter Monachos pro temporum & locorum varietate, varia esset exterior aliquantulum disciplina, prout hanc illamve Monasteriorum Praepositi Monachis magis convenire judicabant; nullam tamen haec exterior disciplinae varietas Ordinum diversitatem inducebat; ita nimirum ut ob eam diversi ac distincti Monachorum Ordines haberentur, sic ut in uno professi libere ad alium transire non possent.

II. „Una quippe erat eorum societas (ait Mabillonius in praefatione ad primam partem saeculi IV. Benedictinorum *nu. 52.*) facilis & promiscuus in alia Monasteria Monachorum invicem cum Praefectorum licentia commeat; tamen omnia separata erant; sed una charitatis lege confederata. Primaria vitae monasticae Regula erat abdicatio rerum omnium, tum propriorum studiorum, qualis in Evangelio praescribitur. Adhaec secessio à saeculi tumultu; officia divina statim horis, obedientia summa, iuge silentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis castigatio, delictorum etiam levium poenae graves; in summa, propriae salutis una fere & maxima cura; pro aliena continentibus ac sollicitis precibus; pro Ecclesia etiam suscepti labores, ubi postulabat charitas, aut necessitas. Levigulorum omnium regulae eo spectabant: & quae ad id magis conducere videbatur, eam suscipiebant Monachi cujusque monasterii pro Rectorem arbitrio & voluntate apud occidentales seu Latinos.

III. Hanc Monachorum uniformitatem usque ad saeculum XI. perdurasse observavit quoque Vir eruditus Lucas Holstenius in praefatione ad Codicem Regularum, asseritque, diversitatis Ordinum, qualis hodie inter varios Ordines praesertim Mendicantium cernitur, ne vestigia quidem sibi ante annos sexcentos apparere: „Quis quocumque intueor, inquit, *informem* ubique Monachatus rationem, & *facilem ac promiscuum* invicem tran-

„transitum, mutuumque commeatum, professionum & Cœnobiorum cerno. Orientales Monachi quando in Occidentem venerant, cum ibi profertim religiofam vitam sine discrimine censuebantur: vicissim Occidentales in Oriente; quod cum innumeris exemplis demonstrari possit, unum tantum hic afferam Cassiani & Germani Galorum Monachorum, qui Aegypti monasteria peragraverunt instituti monastici cognoscendi causa, & animo in patriam referendi haustam inde notitiam disciplinae, in suum & popularium suorum usum, unde satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique Monachorum modum & usum Religionis profertim.

Nullos fuisse *diversos* Monachorum Ordines tempore Gregorii VII. id est, sub finem saeculi 11. annotavit quoque Christianus Lupus tomo 5. Schol. pag. 279.

IV. Et Mabillonius in citata praefatione *num. 50.* asserit, neminem Antiquorum, qui de Monachis scripserit, Benedictinos ab aliis usquam discretivisse ante Trithemii aetatem: id est, ante finem saeculi 15.

Optandum, ut & hodie cessarent inutiles illae altercationes, quae de Sanctis certo Ordini vindicandis praeter modum excitant, ac progredi solent: vigeretque charitas veterum Monachorum, quibus unus Ordo erat, sicque eadem societas; atque omnes invicem aequali charitate complecterentur.

V. Circa saeculum 10. per Sanctum Odonem Abbatem Cluniacensem, quem Flodoardus in Chronico ad annum 842. *multorum restauratorem Monasteriorum, sanctaeque Regulae reparatorem* appellat, erecta fuit Cluniacensis Congregatio, propriis Riibus adstricta Regulae S. Benedicti. Tunc quae prius ritus retinebant Monasteria, alterius Ordinis dici coeperunt, tamen eiusdem Regulae unione confederata: sed exigua erat haec diversitas.

VI. At saeculo XI. Carthusiensis, Camaldulensis, Valumbrosae, Grandimontensis, ac Cisterciensis familiae exortis, major facta Monachorum discretio, ob varias vestes aut Regulas, variosque ritus, quibus singuli utebantur. *Nigros* appellabant veteres Benedictinos; Cistercienses primum *griseos*, tum *albos* seu *candidos*. Hinc S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Unum Ordinem professione teno, ceteros charitate.*

Hoc verò saeculo ac sequenti ita multiplicari Religiones, totque novae continuo exurgere coeperunt, ut ex earum multitudine & varietate confusio in Ecclesia timeretur, quin & subinde ne sub specie virtutis ac Religionis (superstitio) imò & haeresis ac impietas nonnunquam se intermiscerent; quemadmodum in illis qui se *Humiliatos*, aut *Pauperes De Lugduno* vocabant, compertum fuit; quos Lucius III. in *Cap. 9. De Haereticis in Integra*, tamquam haereticos damnavit.

VII. Itaque his providere volens Ecclesia, sub initium saeculi XIII. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statuit: „Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei *confusionem* inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat: sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de *approbatis* assumat. Refertur in *Cap. 9. fin. de Religiosis Domibus.*

Meminis hujus Decreti Matthaeus Parisiensis ad annum 1246. scribens: „In quo Concilio (Lateranensi) post Ordines *Praedicatorum & Minorum* institutos & autorisatos, iterum fragiliter sancitum & statutum fuit, assensum Fratribus Cardinalibus, cum tota sacri Concilii Universalitate praesentibus, ne ex tunc amplius *novi* Ordines adinvententur, vel adinventi admittentur, ne scilicet autentici ac jam recepti Ordines vilescerent, spreti & similiter damnificati.

VIII. Verum non obstante hoc Conciliari Decreto, varietas nihilominus ac novae quotidie Religiones exoriebantur, admirantibus, imò obstupentibus (ait Matthaeus Parisiensis loco citato) viris sapientibus & discretis, super tot *novis* Ordinibus quotidie exortientibus & emergentibus,

„quod spretis *Beatus Benedicti* pleni spiritu omnium Sanctorum, & magnifici Augustini disciplinis, contra Statutum Concilii sub gloriata memoria Domini Papa Innocentio III. celebrati, tot viri literati ad inauditos ac noviter inventos Ordines subito convolarunt.

IX. Cum igitur contra Decretum Concilii Lateranensis non solum importuna petentium inhiatio Religionum multiplicationem extorsisset (uti loquitur Concilium Lugdunense sub Gregorio X.) verum etiam praesumptivam temeritatem diversorum Ordinum praecipue Mendicantium (quorum nondum approbationis meruerit principium) effrenatam quasi multitudinem adinventisse repetita Concilii Concilium districtius inhibuit, ne aliquis de cetero novum Ordinem aut Religionem adinventat, vel habitum novae Religionis assumat. Cunctas assatum Religiones & Ordines mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerunt, perpetuae prohibitioni, ait, subiecit, & quatenus procellerant, revocamus. Refertur in *Cap. Unico De Religiosis domibus in VI.*

X. Ingentem numerum Religionum Mendicantium per hoc Decretum reduxisse Concilium, notat Fagnanus, cum tamen, ait, ab eo tempore usque adeo excreverint, ut à multis viris piis Apostolicae Sedis proviso hac in re desideretur. Ad *Cap. CUM SIT ARS de aetate & qualitate Ordinand. num. 15.*

XI. Monet Cardinalis Bellarminus *lib. 2. De Monachis cap. 4.* ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Ordinis seu Religionis novae institutionem non indignis approbatione seu confirmatione Sedis Apostolicae; primoque fuisse SS. Dominicum & Franciscum, qui sui Ordinis confirmationem petierunt; una monens, Innocentium III. ad eundem jam dictum Decretum, per motum fuisse, ob periculum Ecclesiae imminens superstitio ac rituum à Catholica & solida pietate alienorum, si cui libet privato novam Religionem institueret liceret.

XII. Si ergo Bellarmino credimus, Sedis Apostolicae approbatio requiritur vice testimonio, quo constat, ex iudicio Sedis Apostolicae, novum hoc Institutum nihil à doctrina Evangelii aut Ecclesiae dissentanum continere.

XIII. Quidquid sit, id certum est, nullam hodie Religionem de novo institui aut admitti posse sine Sedis Apostolicae praevia approbatione seu confirmatione; atque admissionem & institutionem novae Religionis numerari inter causas Sedi Apostolicae reservatas.

XIV. Declaravit insuper Bonifacius VIII. in *Cap. Unico De Voto in VI.* votum Religionis demum esse *solemne* atque ad dirimendum Matrimonium contractum efficax, *per professionem tacitam vel expressam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

„Ergo, ait Glossa, si proficitur Religionem non approbatam, si postea contrahat, tenet Matrimonium: quod verum puto (pergit Glossa) etiam si, quando profitebatur, credebat illam approbatam.

Neque juxta modernam disciplinam, *Regulares* sive *Religiosi* dicuntur, tamen in communi vivunt & tria vota Religionis emittant, si ea non emittant in Religione *approbata*; uti observat Zypaeus ad *Tit. De Regularibus*. Elenchum Ordinum approbatorum habemus apud Miræum ad calceni Codicis Regularum.

## CAPUT III.

De nova constructione Monasteriorum.

- 1 Nova Monasteria sine consensu Episcopi loci exstrui non possunt.
- 2 Hac disciplina hodie magis quam olim necessaria.
- 3 Eam innovavit Synodus Tridentina.